



# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA  
Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS  
TEL:02/734 55 42

*de nuperrima recentissima*

## MEDIOLANENSI SCINTILLA LATINA

Iohannes Carolus ROSSI, architectus Mediolanensis necnon elegantissimus latinitatis vivae cultor, iamdiu profitetur linguam Latinam vivam vinculum historicum esse inter gentes Europaeas atque avitum interpretem cultus civilis Europaei, sine quo Europa eximiam singularitatem suam perdet et rem publicam communem condere non poterit.

I. Carolus Rossi, cui res publica magnae est curae, numeratur inter conditores recentis circuli, cui nomen Italicum "SOCIETA CIVILE". Cuius societatis sodales diligenter observare volunt quomodo aediles Mediolanenses suo munere fungantur atque cives monent si quid in aedilium rebus gestis videtur fraudulentum vel ineptum vel iniquum. Quam ob rem hoc anno inceperunt folia periodica divulgare, cui index "SOCIETA CIVILE". Huius circuli sedem collocaverunt in praestantibus aedibus ad Xystum Columbianum (Corso Cristoforo Colombo, 10) situs.

Cum Dr.P.C.Eichenseer egoque Carolo Rossi nuntiavissemus nos eum in itinere Romano visitaturos esse, hanc occasionem cepit coetus Latini internationalis ordinandi.

Sic evenit ut Saturni die 19° m.Aprilis, I.Carolus nos ad sedem "Societatis Civilis" deduceret, ubi ab hora decima et dimidia habebatur coetus et praebatur promulsis. Praeter Mediolanenses latinitatis cultores interfuerunt unus Austriacus, unus Germanus et duo Belgae. Vido Angelino Aucimianensis infeliciter impeditus est ne veniat. - net

Ad coetum observandum etiam invitatus erat diurnarius diarii "LA REPUBBLICA". Ei licuit participes interrogare, I.Carolo Rossi verba Italica in Latinum vertente vel vice versa.



*a dextris I. Carolus Rossi cum P.Caeleste Eichenseer colloquitur...*

Valde dolemus quod cursus publici Belgici operistitii causa exemplaria numeri undecimi MELISSAE serius allata quin etiam perdita sunt. Si quis subnotator, qui suum exemplar non accepit, nos certiores fecerit, exemplar ad eum mitemus alterum.

*Nel nome di Cicerone un club di ex pariniani*

# Un frate battezza i latino-milanesi

Padre Celeste Eichenseer, monaco benedettino di Saarbrücken. vestimenta, fonetica e sintassi) parlando tra loro solamente in latino. E hanno

Quod scriptum Italicum nobis in Latinum vertit I. Carolus ROSSI :



Cacciato dalla scuola, l'idioma dei nostri avi vive la sua rivincita: un gruppo di amatori torna a parlarlo "dal vivo" e lo propone come lingua europea

Padre Celeste Eichenseer, ceppo dei latinisti milanesi

pronunciano Sisero, i tedeschi Zicero, gli italiani Cicerone, gli inzelesi, atroce-

## "MONACHUS LATINOS MEDIOLANENSES BAPTIZAT."

In nomine Ciceronis circulus discipulorum lycaeii Pariniani congregatur.

Sermo atavorum, e scholis eiectus, novam reportat victoriam : manus cultorum non solum sermone Latino loqui coepit sed eundem ut Europaeorum linguam proponit adhibendum.

Caelestis P. Eichenseer, monachus Benedictinus Saravipontanus, iacca cum focali indutus, omnium urbanissimus : statim ut mulierem veste rubra conspicuam venientem adspexit, "Multo tempore" submissa voce et capite modicum inclinato inquit "te (ex)spectavi Domina !". Deinde matrem quandam adolescentem, quae haud sine haesitatione in syntaxi Latina tractanda narrabat a sua se filiola in schola expectari, oculis velut subrisum tectum affectantibus intuetur, dicens : "Filiam ? Sed puella es...!"

Heri mane in parvulo oeco Circuli "Societas Civilis" inscripti, solum togae desiderabantur, ut plenus sensus in Foro Romano vivendi nobis redintegraretur. Ceterum Iohannes Carolus Rossi, architectus Mediolanensis, eiusque duo hospites de animi cultura, de rebus politicis et athleticis, de phonetica scilicet et syntaxi, omnibus denique de rebus disseruerunt, solum Latina loquentes lingua.

Iidem autem tam ardens in animo eorum qui aderant excitarunt studium - manus quadragenariorum qui quondam maturitatem in Lycaeo Pariniano sunt adepti - ut ingeniarus

hydraulicus, cui nomen est Einricus Orsi, impelleretur ad circulum Mediolani condendum iis omnibus patentem qui Latinum sermonem ut communem Europaeorum linguam excolunt.

Vexata atque e scholarum portis eiecta, discipulis propter "inutilitatem" invisam, tanquam res mortua existimata, lingua Latina velut per fenestras iterum introducitur. Etenimvero duo illi hospites libellos secum gerunt negotiorum atque inscriptionum cursualium plenos : Pater Caelestis, non solum monachus est sed etiam linguam et litteras Latinas in athenaeo Saravipontano docet et commentarios "Vox Latina" inscriptos moderatur. Alter Latinitatis philotheoros Gaius Licoppe, radiologus Bruxellensis, commentariorum "Melissa" moderator, rationem informaticam invenit qua omnia vocabula necessaria ad novum lexicum Latinum conficiendum colligat digeratque. "Profecto sane - inquit - ut ad unitatem linguae perveniamus, longum est iter : sive pronuntiatum respicis, (Ciceronis nomen ab Hispanis, Germanis, Italis, Britannis longe aliter pronuntiarum solet), sive verba nova necessario in usum inducenda (verbi gratia televisorium, id est instrumentum, a televisione, id est universa transmittendi imagines ratio, distinguimus). Attamen hoc obtingimus ut de rebus hodiernis, cuiuscumque sunt generis, disputare possimus, Latine, sicut C. Iulius Caesar, colloquentes.

Sic Latinitas Viva mirum in modum Mediolani scintillavit. Tale praeconium utilissimum est et multiplicandum. Ipsi I. Caroli Rossi verbis usurpatis, optandum est ut, Latinis scintillis undique emissis, flammam paulatim alendo, mox flagret incendium...

## NUNTIA EX ORBE LATINO



IN · CAPTONA · AD · VLTIMAM · VENTAM  
VERINAE · AD · IV · PLAV  
DIE · XVII · MENSIS · AVI  
ANNO · DOMINI · MC · LXXXV<sup>o</sup>  
FELICITER · CONDITVS  
AB · IOHANNI · POTIER · MAGISTRO · DISTILLATIONIS  
ET · IN · GY · PESSARY · MAGISTRO · LATINITATIS  
ET · MARIO · ALEXA · MAGISTRO · LATINITATIS

Sole mire splendente, lautissime celebratus est primus anniversarius dies Circuli Lupiani. Marius ALEXA, unus ex circuli conditoribus necnon sodalis Foundationis Melissae, res optime ordinaverat. Multos invitaverat, multi advenerunt etiam ex longinquo inter quos quattuor Belgae. Valde gratulamur sodalibus Circuli Lupiani et optamus ut multis in locis condantur tales circuli Latini. Ampliorem relationem huius celebrationis nobis promisit Mechthildis Lemke.

# INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES SUITBERTUS H. SIEDL

DIANA LICOPPE CUM PATRE SUITBERTO A S. JOANNE A CRUCE, O.C.D., COLLOQUIUM

## (1) Ubi et quando natus es?

Natus sum die 11 mensis Februarii A.D. 1923, in urbe cui tot nationes -quae decursu saeculorum jam inde ab antiquo aevo, antequam pars imperii Romani facta sit, usque ad hodiernum diem vel per eam transierunt vel ibi saltem ex parte manserunt vel eam quodammodo suae Patriae caput habuerunt vel habent-nomina imposuerunt varia ut usque hodie appelletur Vindobona, Vienna, Bécs vel Bec, Dunaj, Vide, Wieden, Wien, vel dialecto proprii Wean; unde mihi quasi a nativitate praedestinatus videor ad varietatem nationum amandam linguasque discendas.

## (2) Ubi studia secundaria fecisti? Eratne tibi iam tunc aviditas multarum linguarum discendarum?

Vindobonae, in urbe mea, quatuor annis in ludo litterarum sive schola elementari peractis in publico gymnasio sive Lyceo "humanistico", ut in Austria dicitur, sive "classico" (ita in aliis nationibus appellatur) octo annos studiis secundariis operam dedi.

Varietate linguarum jam puerulus valde delectatus sum. Crescebam inde ab initio quasi puer trilinguis: in familia mea parentes aequali ratione utebantur tum dialecto Vindobonensi cum lingua Esperanto; in ludo autem litterarum nos pueros linguam Germanicam docuerunt qua tamen -nisi "in scriptis"- fere numquam usi sumus.

Alias quoque linguas parentes mei, etsi illas non perfecte callebant, tamen amabant: Latinam, Graecam, Hungaricam, Bohemam...

Bohemam nominavi linguam: suavem de matre recordationem hac in re tacere non possum. Olim, antequam Austria ab Hitlerianis occupata fuit, quidam hujus sectae fautor matri meae (hujus rei inimicissimae) Hitlerianam Austriae occupationem esse omnino necessariam persuadere voluit: Vindobonam enim, affirmavit, nisi Austria tota quam primum Germaniae adhaereret, mox occupatam fore a Bohemis qui tunc iam valde numerosi Vindobonam incolebant, et rem -pro se horrendam-graphice descripsit: "... omnes magistratus Bohemi erunt, statio radiophonica nostra utetur lingua Bohema, acta diurna omnia Bohema erunt, omnes inscriptiones in viis et plateis erunt scriptae lingua Bohema, scholae erunt Bohemae ... cogitate, domina!" Ad quae mater mea placide respondit: "Discemus: linguam Bohemam. Tam difficilis non erit."

## (3) Quando et in quem ordinem religiosum intrasti?

### Ubi et quae studia universitaria fecisti?

### Quomodo transisti secundum bellum mundanum?

Tres quaestiones has in unum contraxi ut res gestas ordine chronologico servato narrare facilius possim. Res enim ita se habebant: jam ultimis Lycei annis certe scivi me, si in eligenda via vitae liber fuisset, studio linguarum Latinae et Graecae et antiqui Orientis operam daturum fuisse, ut tandem in studiorum universitate fierem harum linguarum professor; cum autem me in ordinem quendam religiosum a Deo vocatum esse

negare non potui, relictis de studio linguarum cogitationibus, postquam inter multa alia etiam opera de vita spirituali a S. Teresa a Jesu Abulensi et a S. Joanne a Cruce conscripta cognovi, matura deliberatione Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ab his duobus Sanctis renovatum, antequam studia universitaria coepissem, ingressus sum.

Dum autem Graecii (Graz) in Styria novitiatus annum perago, viri Gestapo (Germaniae Hitlerianae "agentes in rebus") die Dominica Palmarum de repente monasterium occupant, nos ex ejus possessione extrudunt, scholam pro Juventute Hitleriana ibi instituunt. Nos in aliis monasteriis nostris Lentiae et Vindobonae (quamquam etiam illa magna ex parte ab Hitlerianis jam occupata erant) per fugium invenire potuimus.

Novitiatus anno peracto Vindobonae duos annos philosophiae studere potui. Postea, bello jam saeviente, ad servitium militare coactus sum.

Tirocinio militari in Moravia (sat pacifice) peracto per aliquos menses Slovachiam (minus pacifice) peragravimus. Postea nostra legio in limitem Germaniae occidentalis transvecta est, ubi mox a militibus Americanis captus (id est, ut res se habebant, ex militia Hitleriana liberatus) et armis (quibus numquam usus eram) spoliatus in castra belli captivis destinata in Belgium vectus sum. Cum Americanis placuisset nos ad diversos labores in variis locis faciendos circumvehere, tunc partem Flandriae et Brabantiae atque totam fere Walloniam sat bene cognovi. Anno et dimidio elapso post mensem in maximis castris prope Le Havre situs transactum, cum aliis Austriacis Santicum (Villach) in Carinthia transvectus sum, ubi plena libertate donatus pro circumstantiis tunc vigentibus liberum iter arripere potui. Diversis traminiibus sarcinariis usus (nam alia tunc nondum erant) die 31. mensis Decembris 1945 hora quinta matutina in monasterium nostrum Graecense interim a nostris recuperatum reversus sum.

De ceteris studiis brevissime: Post unum semestre in Seminario Theologico Lentiensi Romam missus sum, ubi per quinque annos studiis theologicis aliisque affinis operam dedi. Anno 1950 sacerdos ordinatus, studiis Romanis perfectis in Austriam remissus variis muneribus functus sum donec iterum ad studia universitaria reverti potuissem. Graecii (Graz) Veldidenae-Oeniponte (Innsbruck), Bonnae in Rhenania, Jerusalem in terra Israel studiis biblicis, linguisticis, archaeologicis incubui.

## (4) Quot linguas scis?

### Quando, quomodo, cur eas didicisti?

Hac in re quoque ordinem stricte chronologicum servabo quo facilius obtineatur enumeratio completa, etsi hoc modo varia genera linguarum permixtum enumeranda sint.

Dialectum Vindobonensem et linguam Esperanto, ut jam dixi, didici puerulus in familia mea; data occasione utraque lingua utor usque hodie (v.gr. est mihi commercium epistulare cum puella mutilata quae vivit in Sinis septentrionalibus et optime

scit linguam Esperanto);

linguam Germanicam docuerunt nos in ludo litterarum sive schola elementari, quae lingua ad legendum praesertim et scribendum sua utilitate non caret; ad loquendum vero in Austria, etiam docens in universitate, usu sum semper et utor dialecto vernaculo;

linguam Latinam in gymnasio/Lyceo per octo integros annos didici, quam linguam docebant nos methodo "grammaticali" singulis diebus saltem unam horam (dixi saltem, quia professor linguae Latinae linguam quoque Germanicam docuit quam minus amabat unde saepissime horas linguae Germanicae destinatas convertit in scholas linguae Latinae); ego vero inde ab initio methodum "grammaticalem" et totam ex altera in alteram linguam vertendi et convertendi negotium odio habui neque, ut fere omnes condiscipuli mei, oculis didici linguam sed auribus: omnia exercitia domi alta voce legi, neque textus Latinos in aliam linguam verti, sed Latine mihimet ipsi repetendo narrare saepi; inde a quinto gymnasii anno praeter textus et auctores quos in schola legimus, iam coepi legere alios textus, v. gr. textus liturgicos et auctores christianos Medii aevi quae mihi multum placuerunt; ultimis duobus annis cum quibusdam condiscipulis meis Latine colloqui coepi; ex quo autem in Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingressus sum, lingua Latina mihi omnino familiaris facta est: praeter s. missam, totum officium divinum in choro Latine recitabatur, lectio ad mensam erat Latina, Regula et Constitutiones et ceteri libri ordinis nostri Latine scripti erant, omnes scholae inde a novitiatu solummodo Latinae erant, et Romae saltem quatuor in hebdomada lingua Latina erat vi normarum tunc vigentium unica lingua admissa etiam in colloquiis privatis et horis recreationis communis; tunc revera nullus erat inter nos tum professor cum discipulus qui facile et expedite loqui Latine nescivit;

linguam Graecam tunc nos docuerunt a tertio ad octavum annum gymnasii/Lycei, itemque quotidie per saltem unam horam (iterum dixi saltem, sed alia ex ratione: professor enim linguae Graecae solebat, quandocumque aliquis e professoribus aegrotabat quod sat frequenter accidit, aegroti collegae scholas sibi arripere ut nos Graece doceret).

Quamvis etiam ille methodum "grammaticalem" secutus sit, exercitia

Graece loquendi nobiscum habuit et ad tantam Graece loquendi nobiscum habuit et ad tantam Graecae linguae peritiam nos conduxit ut ultimo anno totam Sophoclis Antigonam post primam textus analysim personis inter nos distributis Graece legimus, sicut in theatro sonare debet, sine ulla pausa in legendo, sine ulla versione -quod fuit maxima delectatio;

linguam Hungaricam inter tertium et quartum annum gymnasii discere coepi, cujus rei immediata occasio fuit quod in Congressu Internationali Esperantistarum, qui tunc Vindobonae celebratur, amicitiam fecimus cum familia ex Hungaria quae me etiam invitavit ut proximas vacationes apud se in Hungaria essem mansurus; bis postea in Hungariam venire potui, sed post Hitlerianam occupationem Austriae permissio egrediendi ex Hitleriano dominio mihi negata est -quod maxime dolui; lingua autem Hungarica, a linguis indo-europaeis sat diversa, mihi multum placuit neque mihi visa est difficilis, quam non methodo "grammaticali" sed potius, uti aiunt, "naturali" didici; linguam Anglicam inde a quinto anno gymnasii nos docuerunt, methodis valde inter se discrepantibus cum singulis fere semestribus alius et alius professor nos docuit; hujus linguae usum praesertim acquisivi cum belli captivus essem apud exercitum Americanum;

linguam Francogallicam in novitiatu didici sub ductu cujusdam Patris hujus linguae valde periti qui et optimus fuit magister,

ita ut post paucos menses jam sine difficultate legere potuerim "Historiam animae" i.e. autobiographiam a S. Theresia a Jesu Infante lingua Francogallica conscriptam; haec quoque lingua tempore captivitatis bellici utilis esse coepit nam, ut narraui, tunc majore ex parte in Wallonia degebam, neque postea utilis esse desiit;

linguam Hispanicam statim post novitiatum, dum Vindobonae Philosophiae studerem, iussu Patris Provincialis (cui concordabat meum desiderium), praesertim ut opera a S. Teresa et a S. Joanne a Cruce Hispanice conscripta in textu primigenio legere possem, discere coepi; hanc quoque linguam mox mihi utilissimam fore tunc nescivi, sed belli captivus cum essem, milites qui nos in custodia habebant oriundi erant omnes ex insula Puerto Rico quorum lingua erat Hispanica; qua lingua etiam postea multum usus sum -legendo et etiam colloquendo, praesertim hic Romae ubi multi studentes et professores et religiosae sorores ex Hispania venientes degunt;

Unico illo semestri quo e captivitate bellica reversus in seminario theologico Lentiensi (Linz) in Austria studiis vacabam, complures coepi discere linguas, diversis methodis et finibus et sorte varia; mero linguas discendi gaudio attractus ipsemet, diversis libris usus, linguam Japonicam per unum fere annum discebam neque, praeter discendi delectationem, multum utilitatis inde habui;

antiquas quoque linguas Aramaicam et Syriacam una cum Hebraica in seminario theologico illo primum discere coepi; e quibus priores duas minus, posteriorem vero maxime postea colebam: praesertim cum iteratis vicibus in terra Israel et studens et professor degebam;

ne linguae Italicae prorsus in Italiam venirem, antequam ad studia theologica missus sum Romam, Lentiae quidam ex Patribus nostris per tres hebdomadas prima linguae Italicae elementa me docuit: quae lingua postea ita in succum et sanguinem mihi transiit ut usque hodie (una cum lingua Latina et dialecto vernaculo) ea plus ceteris utar;

linguam Arabicam necnon linguam Vasconiae (Euskera) quoque binis annis, dum Romae dego, discebam; e quibus posteriorem magis quam priorem vere didici;

post studia Romana in Austriam sacerdos reversus, cum et milites ex Russia et ex Serbia et Croatia profugi alique bello ex Patria avulsi degerent inter nos, occasionem nactus linguas Russicam et Serbam/Croatam (de quibus acriter disputatur utrum sint duae linguae similes an potius una lingua duobus formis diversis) ipse domi didici, domo egressus usui habui;

postea vero in Russia numquam fui, saepius vero in Jugoslavia; aliud genus linguarum in universitatibus (praesertim Graecii, Oeniponte, Bonnae) illo tempore mihi inter delicias erat: linguae signis cuneiformibus scriptae Akkadica (id est assyrica-babylonensis) et Sumerica quas annis posterioribus etiam docui;

tempore quo jam in universitate Juvavensi docebam ratione itineris praevisi linguas Turcam et Persicam mihi discendas proposui, priorem tum inter operarios Turcos in Austria cum in ipsa Turchia re vera ad usum deducere potui, posterior vero, nulla occasione ea utendi data, mihi in desuetudinem abiit;

cum primum Ferias Latinas paravi Tinjis et domum illam Slovenis qui Carinthiam inhabitant esse praeprimis destinatam animadverti, statim hanc quoque linguam Slovenam summo studio meam feci;

interim aliis quoque ejusdem familiae linguis operam navare non omitto:

linguis nempe Bohaemae et Polonae, quarum prior jam mihi puerulo (quamvis eam nesciverim) sat familiaris erat nam, ut narraui, tum temporis valde multi inter nos habitabant

Vindobonae Bohemi et mater quoque mea quosdam cantus lingua Bohema cantare solebat, posterior autem nobis Vindobonensibus cordi est, quoniam Jan Sobieski, Poloniae rex, nostram urbem a Turcis anno 1683 obsessam sua victoria liberavit; ego autem sperabam anno 1939 Polonos iterum Patriam meam, nunc a dominatione Hitleriana oppressam, liberaturos -quod tamen aliter evenit : nec Poloni Vindobonam liberare potuerunt nec nos illis adiutorio esse potuimus; accedunt tres aliae causae discendi linguam Poloniam : ordo Carmelitarum Discalceatorum in Polonia maxime floret, et religiosas sorores Polonae apud nos Lentiae sedem habent, et mihi spes est fore ut in Polonia quoque possint instaurari Ferae Latinae.

(5) Quibus muneribus functus es?

Sacerdos in Austriam reversus primum functus sum munere professoris linguarum Latinae et Graecae necnon subpraefecti in collegio puerorum, deinde miserunt me cappellanum seu cooperatorem in quadam paroeciam in oppido S. Hippolyti (Sankt Pölten) a nostri ordinis Patribus tunc curatam, postea triennio Graecii studiis universitariis praesertim operam dabam, tandem plene studiis universitariis destinatus duos annos Bonnae in Rhenania studiis vacabam, Oeniponte quoque tempus studendi mihi datum fuit, annis 1960-1963 Romae in nostra Facultate Theologica docebam materias biblicas et archaeologicas, postea per plus quam unum annum in terra Israel studiis vacabam, unde reversus in Austriam statim in universitate Juvavensi (Salzburg) docere coepi -quo munere functus sum usque ad finem primi semestris anni academici 1985/1986; interim nominatus sum membrum Consilii pontificii operis fundati LATINITAS; nunc professor emeritus praesertim linguae Latinae vivae provehendae munus mihi incumbit ... loquendo de muneribus et officiis, ut ita dicam, terrenis : nam primum semper et praestantissimum meum officium esse munus sacerdotale, Deum orandi studium, spiritualis vitae religiosum cultum omnibus patere qui christiana religione censentur opinor.

(6) In universitate studiorum quid docuisti?

Sacram Scripturam imprimis (exegesim et theologiam biblicam), archaeologiam biblicam, judaisticam, linguas Hebraicam imprimis, Aramaicam, aliquantulum Syriacam quoque et Arabicam (quae primo tempore mei muneris erant inter materias obligatorias pro doctoratu sive laurea in s. theologia; postea ablatae sunt linguae aramaica, syriaca, arabica, et lingua Hebraica diminutionem est passa), linguas Akkadicam et Sumericam, cursus speciales de S. Thoma Aquinate et de S. Joanne a Cruce, proseminaria de methodo laboris scientifici, seminaria biblica varia, seminaria de exegesi patristica (Patres Graeci et Latini), Geographiam biblicam- et singulis annis cursum intensum linguae Latinae.

(7) Incubistine plus in linguam Hebraicam quam in Latinam?

Ratione temporis respicio sat facilis est : linguam Latinam colere coepi cum decem annos haberem, Hebraicam (post tentamina inutilia methodo "grammaticali" et Lentiae et Romae nobis imposita) re vera linguam Hebraicam discere coepi cum Coloniae Agrippinae (Köln) in legatione rei publicae Israel librum accepi quo immigrantes in Israel hodie docentur hanc linguam -quod accidit anno 1957. Deinde certe intensissime studiis Hebraicis me dedi, ex Israel in Austriam reversus per multum temporis quotidie acta diurna Israeliana (nempe "Ha'aretz") via aërea mihi missa accepi -donec cursus publicus qui per plurimos annos hesternam acta diurna Israeliana hodie mihi tradebat, in conditiones valde peiores ruit,

unde semel in hebdomada 5 vel 6 numeri actorum diurnorum simul advenerunt, atque simul pretia cursus publici valde sunt aucta. Accidit ut in universitate Juvavansi, cum ibi docere coepi, solus essem in amando docendo provehendo linguam Hebraicam : nunc autem ibidem sunt tres peritissimi viri hujus muneris.

(8) Quomodo et quando

tibi in mentem venit Feras Latinas instituere?

Pater tuus olim, paulo postquam inter nos Romae cognovimus, epistula mihi missa proposuit ut seminaria Latinitatis P. Caelestis Eichenseer me cooperante Juvavi (Salzburg) quoque pararentur -res autem variis causis mihi non arrisit unde misso responso rem esse possibilem negavi. Neque de hac re amplius cogitavi. Cum autem quodam die animi relaxandi et corporis refocillandi causa in silvis Tirolensibus deambularem, ecce statim media in silva domum vere pulchram et evidenter "congressibus" destinata ante oculos habui. Intraivi Paullulum ibi in Maenano sedebam. Pulchrum esset -cogitavi hic sedere cum amicis et Latine colloqui. In illa hora natae sunt Ferae Latinae.

Cum jam nimis multum scripserim, ad ceteras quaestiones quam brevissime mihi est respondendum. Ecce ad singula quaedam :

De mea ratione docendi jam variis in locis per integram horam et amplius Latine locutus sum neque putavi me omnia dixisse; ut qui me non noverunt saltem quandam habeant ideam de mea methodo, dicam me amare "methodum naturalem" : id est, in quantum fieri potest, sequor modum quo infans fit loquens -sine ullo tamen "fanatismo" (qui semper est pessima res) et adaptando ea quae natura cum infantibus facit ad personas adultas.

De momento linguae Latinae in Europa (et non tantummodo in Europa) haec mihi videntur dicenda : lingua latina est thesaurus incomparandae praestantiae et propter omnis generis scripta duorum milium annorum quae non ad unam nationem, sed ad totum genus humanum sine ulla invidia pertinent, et quia est magni pretii vinculum inter homines sermone patrio diversos quorum neminem offendit quia omnium est; pro his qui Catholicae sunt religionis plura et graviora sunt addenda de quibus autem hic nihil dico quia quaestio erat de momento linguae Latinae in Europa, non in Ecclesia Catholica.

Quibus rationibus latius et citius lingua Latina in Europa dilatarari possit si libera esset agendi facultas quaerentibus respondeo : imprimis volendum est : Hebraei linguam Hebraicam (multo minus vivam quam Latinam quae numquam mortua erat) paucis annis fecerunt vivissimam linguam totius rei publicae Israel quia voluerunt.

Media praesto sunt. En pauca : usus prudens linguae Latinae in televisione, in actis diurnis, in praeconiis mercium, in publicis inscriptionibus in viis et plateis, in stationibus ferroviariis, in curribus viae ferratae ac cetris vehiculis publicis, emissiones radiophonicae latinae, instructio Latina in omnibus scholis et cursus linguae Latinae pro adultis (utrumque, uti patet, non odiosa methodo grammaticali, sed methodo naturali, adhibitis omnibus mediis audio-visificis quoque, theatra et cinematographici ludi Latini...

Sine ullo ordine (parce mihi) enumeravi quaedam, quae mihi sic statim in mentem venerunt. Certe mediis, ut hodie dicitur, abundamus. Sufficit ut iis uti et vere velimus et tandem possimus.

VALETE

*subdit*

# BEN YEHUDA cur vocatus sit PATER LINGUAE HEBRAICAE MODERNAE

Ante nonnullas septimanas, inter ferias Paschales, Rem Publicam Israhelianam obii. Audiendo homines -et pueros et senes- Hebraice loquentes et videndo ubique in viis omnium generis inscriptiones Hebraice scriptas, de lingua Hebraica moderna paulo plus scire volui. Nonne haec lingua veterrima, qua nunc utuntur omnes Israheliani, optimum exemplum incitantumque est fautoribus Latinitatis vivae?

Iam diu plura scire cupiebam de illo viro, qui sibi nomen elegit Ben-Yehuda et qui pater linguae Hebraicae modernae dicitur. Perdifficile tamen nostris in regionibus aliquid legendum invenitur de vita et de rebus gestis illius viri. Gratias ineffabiles ago Domino Alberto Böning, qui de hac re interrogatus ad nos benignissime misit rubricam "Ben-Yehuda" ex "Encyclopaedia Iudaica" photocopiatam. Sic ex optimo fonte didici qualis fuerit ille pater linguae Hebraicae modernae et quomodo eius familia prima fuerit recentibus temporibus in Palaestina quae tantum Hebraice loqueretur.

Eliezer Yizhak Perelman, postea vocatus Ben-Yehuda, natus est in urbe "Luzhky" in Lithuania, anno 1858°. Cum quinque annos natus erat, pater vita defunctus est.

Tredecim annos natus, missus est ad patrum ut scholam adiret. Ibi, magister eum ad litteras antiquas adlexit. Postea, patruus eum misit in urbem Glubokoye. Qua in urbe cognovit virum, nomine Samuel Naphtali Herz Jonas, qui in periodicis Hebraicis scribebat. Qui vir iuvenem ad examina scholae secundariae superanda praeparavit et eius filia maior natu, Deborah, eum linguam Russicam docuit. Diploma accepit anno 1877°. Tempore belli inter Russos et Turcos (1877-1878), quo populi Balkanenses pugnauerunt ad libertatem adipiscendam, in iuvenis Ben-Yehuda mentem venit populum Iudaeum in terram propriam reducendum esse (id quod postea vocatum est reditus in Sion, unde oritur verbum "Sionismus"). Dicebat populum Hebraicum, sicut omnes populos, terram et linguam historicam habere. Anno 1878° Lutetiam petivit ad medicinae artem discendam. Ibi invenit nonnullos Hebraeos scriptores quibuscum locutus est de consilio suo. Sed, ut saepe evenit, ne unus quidem ei aurem praebere voluit. De quo consilio primum aliqui scripsit in actis diurnis Ha-Shadar a Domino Smolepskin editis. Quo in scripto explicabat communitatem in Palaestina a populo Hebraico condendam esse ut omnes Iudaei, etiam qui in diaspora manere vellent, se patriam habere scirent et linguam et cultum civilem proprium. Quod scriptum primum cognomine E. Ben-Yehuda subsignavit.

Lutetiae etiam convenit diurnarium Hebraicum, Georgium (=Getzel) Selikovitch, qui ei narravit se in itineribus per Asiam Africamque Hebraice locutum esse ad communicandum cum Iudaeis qui istas regiones incolebant. Ergo, lingua Hebraica nondum omnino mortua erat ...

Anno 1878°, hiemali tempore, tuberculosus morbo affectus statuit studia medicinae Lutetiamque relinquere atque Palaestinam petere, ubi domum suam aedificaret atque tempestate optima frueretur. Ante discessum linguae Hebraicae studuit in magistrorum seminario "Alliance Israélite Universelle", ut eam docere posset. Qua in schola audivit lectiones Assyriologae Josephi Halevy qui iam anno 1860°, in periodico Ha-Maggid rogaverat ut nova verba Hebraica fingerentur.

Cum eius valetudo peior facta esset, in nosocomium

Parisiense "Rothschild" acceptus est, ubi collocutus est cum viro Hierosolymitano, A.M. Luncz. Qui, cum eum lingua Hebraica allocutus esset, pronuntiatione "Sephardi" usus est explicavitque inter homines, qui Hierosolymis linguam Hebraicam colunt, tantum eos, qui pronuntiatione "Sephardi" utuntur, inter se intellegere. Abhinc, iuvenis Ben-Yehuda censuit linguam Hebraicam vivam modo "Sephardi" pronuntiandam esse, cum haec pronuntiatio basis translitterationis vocabulorum Sacrae Scripturae esset tum antiquitus cum recentius.

Anno 1880°, edidit duas symbolas in periodico nomine "Ha-Havazzelet", quibus proposuit ut in Palaestinis scholis Iudaeis institutio potius fieret lingua Hebraica quam ceteris linguis.

Anno 1881°, Lutetiam tandem reliquit et iter fecit ad Palaestinam. In itinere, Vindobonae, ad eum venit ea, quae eius amica iam a puero erat, Deborah Jonas, quam Cairi uxorem duxit.

Idem anno, mense octobri, Ioppen (hodie Jaffa) advenerunt. Ibi uxori suae nuntiavit se in posterum cum ea tantum lingua Hebraica locuturum esse. Illius ergo viri familia prima fuit, recentibus temporibus in Palaestina, quae tantum Hebraice loquebatur et eorum filius Ben-Zion, postea Ithamar Ben-Avi vocatus, primus puer fuit Hebraice educatus.

Ben-Yehuda statim intellexit homines religiosos, qui iam optime Hebraice legere sciebant, facile Hebraice loqui discere posse. Sic, ad eos in suam amicitiam ducendos, ipse eorum mores cepit: tulit barbam longam et comptum specialem. Homines tamen religiosi rapide animadverterunt illi Ben-Yehuda linguam Hebraicam non esse sacram sed saecularem nationalemque, qua tantum proposita politica et nationalia exsequeretur. Quam ob rem Ben-Yehuda adversarius hominum religiosorum factus est; fuit Iudaeus sine religione.

Anno 1881°, Ben-Yehuda cum nonnullis sodalibus societatem condidit cui nomen "Tehiyyat Israel" et quae nitebatur quinque principiis:

1. Curare ut frequentiores fiant homines, qui in agris laborant
2. Sermonem Hebraicum iterum vividum reddere
3. Pangere litteras Hebraicas modernas et scientiam accommodatam ad ingenium nationale
4. Educare liberos ad cultum nationalem nec minus tamen ad cultum humanum universalem
5. Strenue obstare religiosorum systemati "hulukkali".

In Palaestina, Ben-Yehuda praesertim diurnarius fuit sed etiam docuit in schola cui nomen "Jerusalem Alliance School"; ibi tamen docere noluit antequam licentia ei data esset de omnibus rebus tantum Hebraice tractandi. Quae schola ergo prima fuit ubi de nonnullis rebus tantum Hebraice tractaretur.

Anno 1885°, in lucem edidit librum geographicum de Palaestina, cuius titulus est "Erez Yisrael", quo significatur "Res Publica Israheliana". Sed tantum edita est pars prima.

Semper tamen ei maximae curae fuit lingua Hebraica moderna. Multum laboravit ad nova verba conficienda quae saepe excipiebat ex linguis modernis. Nonnullos commentarios periodicos condidit, quibus non tantum tractabantur argumenta Iudaica propria sed etiam omne genus rerum saecularium necnon politicarum, quantum sinebat censura Turcica.

7ac  
11 א

Anno 1891°, uxor eius mortua est, cuius sororem natu minorem paulo post uxorem duxit. Quae statim nomen Hebraicum cepit Hemdah. Semper maritum suum adiuvavit et pro eius periodicis narrationes Hebraicas conscripsit. Eum etiam impulit ut extremismo religioso orthodoxorum Iudaeorum vehementer adversaretur. Qui religiosi, in ultionem excandescentes, eum ita regentibus Turcis indicaverunt ut seditionis insimularetur et per annum in carcere retineretur.

Postea praesertim operam dedit ad opus linguisticum, ne nimis a Turcis impediretur. Lexicon totius linguae Hebraicae et antiquae et recentioris, cuius materiam iam ab adventu suo in Palaestinam colligere coeperat, assidue augere perrexit. Ad quod perficiendum multa fecit itinera in Europam et in Foederatas Civitates Americae.

Anno 1910° coepit hoc ingens lexicon gradatim edere, tomum post tomum. Post eius mortem, vidua et filius publicationem perrexerunt, usque ad ultimum tomum eundemque septimum decimum anno 1959° editum.

7u -  
7aa -  
7ab

Bello mundano primo, cum Sionismus a Turcis prohibitus esset, coactus est Palaestinam relinquere et in Americam Septentrionalem confugit. Turcis devictis

expulsisque, anno 1919° in Palaestinam reversus est, ubi ab Anglo praefecto Herbert Samuel obtinuit ut lingua Hebraica fieret lingua officialis in Palaestina una cum lingua Anglica et lingua Arabica.

Paulo post, anno 1922° de vita decessit.

Ad summam consecutus est haec :

- linguam Hebraicam iterum reddidit vivam. Eius opera Hebraice loqui factum est scopus politicus. Persuasum habebat cottidianum sermonem Hebraicum omnino necessarium esse ad resurrectionem politicam necnon culturalem Rei Publicae Israelianae. Voti compos mortuus est.

- Litteras Hebraicas simplices, populares, supervacaneo tumore archaismisquae vacantes creavit.

- Primus instituit methodum idoneam ad ea nova vocabula systematice fingenda, quae continuo poscebant necessitates hodiernarum disciplinarum.

- Lexicon suum composuit ex vocabulis omnium aevorum litterarum Hebraicarum.

Nonne est exemplum meditandum a fautoribus Latinitatis Vivae?

Diana Licoppe



Utinam tot inscriptiones Latinae exhibeantur in Europae urbibus, quot Hebraicas in urbe Haifa !

1e

# .A N T I Q U I T A T E S .

## DE ATUATUCORUM POPULO ET CLARISSIMO OPPIDO.

*Atuátuci  
Samarobriua  
Bagacum*

*Pars altera divulgata est in n°10; hic sequitur pars tertia eaque ultima.*

Ipsae autem ego, posteaquam trecentas hypotheses meas proprias reieci, anno 1972° p.C.n. tandem proposui iugum hodie denominatum "Les Abanets" in uico Dothorpa (Dourbes) in primo flexu fluminis Virviae (Viroin), quod influit in Mosam in uico "Vireux-Molhain" hodie denominato (14). Qui uicus Dothorpa a Namurco distat milibus circiter LXXX (125 km) in orientem et septentrionem uersus et a finibus communibus Atuatorum et Neruorum, qui prope Cimacum coniunguntur, milibus circiter XV (siue prope uno iusto itinere (22 km 222...) in occidentem uersus.

Situs autem oppidi Dothorpa exacte cum Caesaris descriptione etiam in paruissimis rebus congruit. Hoc oppidum eius modi est quem archaeologi uocare solent "rostrum clausum" (éperon barré) et qui apud Gallos antiquitus saepe adhibitus est. Cuius angusti iugi longitudo est amplius trium milium et trecentorum pedum (circiter 1 km) ab oriente ad occidentem, id est a Dothorpa ad Nemausum (Nismes); latitudo autem a septentrionibus ad meridiem uersus modo DCL pedum (200 m) modo DCCCL pedum (250 m) : cuius ergo superficies LXXXVIII iugerum erat (22 hectares); sic unicuique LVII milium oppidanorum spatium inter 54 et 63 pedes quadratos (id est circiter 5 m<sup>2</sup>) relinquebatur, id quod ualde sufficebat.

Caesar autem dicit (II,29,3) : "una ex parte leniter adclivis aditus in latitudinem non amplius ducentorum pedum (circiter 60 m) relinquebatur (15) : hoc plane congruit cum eo in uallo quod adhuc hodie existit inter duo immensa foramina, quae re uera antiquissima ferraria sunt unde ferrum fossis apertis per multa saecula iam ante Atuáticos (uerisimiliter etiam ab ipsis Atuáticos quoque) extrahebatur. Haec autem ferraria, quae regionis incolae "fondrys" appellant, amplius pedum DCL (200 m) in longitudinem et in latitudinem et C pedum (30 m) in altitudinem erant : itaque hic quoque, sicut in toto circuitu, muri inutiles fiebant (16) : unde murus duplex tantummodo ducentorum pedum erat sicut aditus leniter adclivis et fossa quae ante oppidum erat. Post annum 1972 p.C.n. circulus archaeologicus Brachnae-de-Allodio (Braine-l'Alleud), quo in uico commentariolum meum in "Romana-Contact" edideram, qui circulus "Amphora" denominatur, duce Iohanne-Marco Doyen, effossiones tribus annis (uno mense singulis annis) fecit. Porro in ipso loco ubi anno 1972 p.C.n. scripseram effodiendum esse circulus archaeologicus illum "duplicem murum" repperit, qui non amplius CC pedum in latitudinem erat, uel potius saltem fundamenta horum duorum murorum (17) : uterque murus in latitudinem amplius pedum XXX (10 m) est; inter autem duos muros interuallum uersatur pedum circiter L (circiter 15 m); ante priorem murum (id est murum exteriorum in occidentem ad Nemausum uergentem) hodie adhuc

uestigia extant magnae fossae in quam Atuáticos, cum se reddissent, maiorem partem armorum suorum iecerant (II,32,4). Quos muros a terra finitima distinguit color flauus, qui inter lapides inuenitur usque ad pedes XV (circiter 4 m 50) in altitudinem (18). Hic autem flauus color necessario artificiosus est et naturali colori soli circumdati et interualli oppositus, qui color naturalis inter rubrum et nigrum est. Cuius flauis coloris materies ex ferrariis proueniebat et, liquefactus, inter lapides effundebatur idcirco, ut eas religaret pro arenato (= ciment), quod nondum cognouerant Atuáticos (19).

Atuatorum autem oppidum Gallici oppidi indolem habere confirmant duae res : prima, quod, uelut saepe apud Gallos (id est Celtas : I,1,1), oppida prope magnam uiam stabant (hic prope uiam a Samarobriua ad Coloniam per eam regionem quae sub Mosa in meridiem uersus sita est uelut supra uidimus (20); secunda, quod prope ferraria uersatur. Quod ergo Atuatorum oppidum unus ex maximis et munitissimis locis et uerisimiliter ciuitatis caput fuit (21).

ALBERTUS GRISART

Adnotationes.

(14) Vide Albertum GRISART, opere, in adn. 5 laudato, pp. 4-16.

(15) Cliuus minimus est (unius pedis pro C pedibus), sed sufficit ut explanetur cur murus duplex sit (nunquam audiui duplicem murum alibi repertum esse).

(16) Propter altitudinem cliuorum in omnibus partibus circuitus et in duobus ferrariis simplex iactus lapidum uel saxorum uel rupium omnem aggressionem uel etiam ascensionem impedire poterat : eo quidem ipso momento quo Caesar aduenit, Atuáticos "magni ponderis saxa in muro collocabant" (II,29,3).

(17) Pars altior duorum murorum ad uias et domos conficiendas a regionis incolis adhibita est, uelut adfirmant cuncti horum locorum eruditi. De effossionum labore uide Iohannem-Marcum DOYEN, Les Abanets à Dourbes, in Amphora, (Braine-l'Alleud), n° 24, 30 juin 1981, pp. 6-23.

(18) Defectus machinarum (et nummorum hercle!) impediuit ne penitus effoderetur tam in fossa et in muris quam in toto oppido.

(19) Contra atque Caesar dicit (II,29,3) duplex murus forsitan non ab Atuáticos, sed ab antiquioribus incolentibus constitutus sit et haec una ex rationibus fuerit quare uetus oppidum a Cimbris Teutonisque captum et electum sit eo consilio, ut "custodiam ex suis et praesidium" ut praedam factam usque ad suum ex Francogallia reditum seruet. Atuáticos alia oppida et castella habebant (II,29,2), quae subiectis Cisrhenanis eripuerant et Caesaris aduentu deseruerant; alia quoque possidebant in parte territorii



# DE INSTITUTIONE LATINA IN SCHOLIS

Andreas Flour philologiae classicae studuit in universitate Lovaniensi; licentiatu anno 1940°, doctor anno 1942° factus est. Numquam linguam Latinam docuit, sed per triginta annos negotiatus est in hac Africae centralis parte cui nomen Congo et quae sub Belgarum ditione erat. Linguae tamen Latinae non oblitus est, neque praestantiae studiorum, qualia erant tempore iuventutis suae.

Nunc otio fruitur in urbe Roeselaere in septentrionali Belgicae parte. Teneri non potuit quin litteras mitteret ad Dominum Daelemans, secretarium generalem institutionis catholicae in Belgio, cuius proposita videntur institutionem in peiora inducere. Quas litteras libenter divulgamus :

*PATENTES* / *cf. Helfer, Lexicon Quaelebaro<sup>2</sup>, 1985, p. 116, s.v. Brief.*

## LITTERAE APERTAE REVERENDISSIMO DOMINO DAELEMANS

Reverendissime Domine,

Ardenti curarum fluctuant aestu parentes, magistri, omnesque qui educationis ac professionis ad imum abiectiois testes, rerum futurarum solliciti sunt.

Imminebat iniuria iamdiu, hodie etiam in scholis liberis consecrata est, operis, praeterea, unius hominis, istius quoque qui pastor esse debebat supremi ponderis iuventutis catholicae, sponsor futurarum generationum, tu, Domine, contra decreta quae Papa Iohannes XXIII anno 1962 omnibus seminariis et collegis imposuit.

Post duos annos finem invenient destinationes quae fortes dicuntur, imprimis humaniora classica in quibus mentes superiores se naturaliter aperire videbantur.

Copiose patet illas destinationes optime meliores alumnos praeparare ad a) fructuosa studia superiora perpetranda b) munera responsabilitatis in humana societate exercenda (ref. "Alumni Lovanienses" m. aprili, 1986).

Aspera haec linguarum antiquarum studia, aliaque coniuncta, secretionem adducebant mentium non firmarum de fortibus, paleae de frumento, ergo excelsitatem permittebant studiorum secundariorum alumnis optima intelligentiae, flori minime pudoris sed imo gloriae dignae.

Num meliorem cum peiore in eadem schola studere cogere possumus, ubi uterque infelix sit ?

Omnes Universitatis professores, omnes qui in studiis secundariis experti sunt infamia ista "Secundaria Renovata" calamitosa esse sciunt, imprimis eis alumnis quibus diplomatum academicum opus est.

Sed plus est : nostrae culturae pretiosum patrimonium super multa milia annorum crevit, lente et laboriose. Nunc isti ignari (si non sunt malevoli) thesaurum illum, tam scientia quam arte inestimabilem delere cupiunt.

Qui enim in schola secundaria Graece non didicit et Latine tantum paucas horas, philologiae classicae studere, igitur docere, non potest.

De cetero, quis satis divitem inveniet qui scientiam studeat cuius fructus percipere non poterit ?

Fiet ergo ut in sex annis cultura milium annorum abiciatur : quis enim, et <sup>quid</sup> adhuc docebit et ad quid ?

Et etiam id non sufficit : omnia praecepta excellentis educationis, quae florem iuventutis per tot annos formaverunt, strangulantur.

Melioribus mentibus licet optima studia discere, nec id divitiis, fortunae, conditioni aut dignitati colligatum est.

Non solum licet. Immo oportet : problemata temporis futuri talia sunt ut optimi etiam formati perdifficiliter ad ea solvenda idonei sint.

Si nunc partes istorum sequimur quibus solum divitias oportet carere, comperire possumus optimam educationem Belgis magis quam magnis nationibus prodesse.

Si enim aliquid pretiosi habemus (heu! habebamus) quo magna componere parvis liceat, nonne illa excellens educatio est, illa studiorum nostrorum universalitas quam magni nobis invident ? Nonne in humanioribus solum classicis illa docetur sed non in "Renovatis" ?

Sed confitemur optimam educationem tamen incommoditatem adduxisse : non palam iram nostram facimus ululantes, laborem recusantes, globos fulmineo pulvere refertos (nomine Molotov) iacentes, caestibus custodes percutientes.

Id non didicimus, ergo non solum ab ignaris et non tolerantibus dimovemur, sed ab isto quoque cuius nos defendere et iuvare supremum officium est, aut esse putamus.

Quoniam cultiores sumus et manere volumus, maxima reverentia petimus ut semel accipiamur (minima tantum legatio!) ab illo qui solus ex auctoritate decretum cepit quod nefastum consideramus adolescentibus, pro futuro et pro patria.

Plurimam tibi salutem dicimus !

Andreas FLOUR.

## DE ATUATUCORUM...


sequitur *continuatur*

ad orientem versus, id est ad Mosam, ubi Atuátuci erant quos Caesar neque trucidare neque vendere potuit, quoniam tribus annis postea Atuátuci Q. Ciceronis hiberna cum Neruiis et Eburonibus aggressi sunt (V,38,1).

(20) Vide *supra*, p. 2. Haec via a Samarobriua ad Coloniā quae sub Mosa (in Meridiem versus) sita est differt a via altera quae a Samarobriva ad Coloniā quoque ducit per regionem quae supra Mosam (in Septentrionem versus) sita est et urbes transit Bagacum et Traiectum ad Mosam (Maastricht).

(21) Vide iam II,29,5 : "hunc sibi domicilio locum elegerant".

## MELISSA



## LITTERARIA

## DE CALEVALAIDE E FENNICO IN LATINUM NUPERRIME CONVERSA.

Poema Fennorum epicum, quae Kalevalais ("Kalevala") inscribitur, ab Elia Lönnrot (1), medico Fennico, superiore saeculo scriptis est mandatum; cuius viri opera et studio carmina sescenta, et ethnica et Christiana, quae omnem per hominum memoriam recitabantur a cantoribus, certum in ordinem adducta multorumque versuum accessione ita aucta sunt, ut in unum perpetuumque carmen conflarentur ad res gestas Fennorum consecrandas. Quod cum poema eo tempore in manus hominum esset datum, cum populus Fennicus Russorum sub imperium dicionemque caderet, cum acta Fennorum publica Russice perscriberentur, quodammodo effectum est ut Fenni nationi suae gloriari inciperent nomenque suum in libertatem vindicare vellent. Id utcumque erat, postquam Kalevalais foras est data, complures in linguas translata modisque musicis a Iohanne illo Sibelio partim aptata, ingenium, natura, mores Fennorum ubique terrarum innotuerunt.

Carmina autem heroa heroisve adsimilia, sive translaticia, sive reflexa, vivis conscripta linguis, quo latius praedicarentur Latine verti solebant etiamve solent. Nam (ut recentiora tantum proferam) Ludovici Camonii heroica, q.t. *Lusiadae*, post Andream Baião Goanum (!) (fl. 1625) Latinae consuetudini dedit Clemens de Oliveira O. Praem. (Olisipone, 1983); Iohannis Miltonii carmen epicum Latine interpretatus est Gulielmus Hogaëus (Londinii, 1690); Voltarii *Henriados* libros decem Latine vertit Calcius Cappavallis (Francodaliae sive Francovalle, 1775); Fenelonii *Telemachiada* carminibus Latinis reddidit Stephanus Viel Neo-Aurelianensis (Lutetiae Parisiorum, 1808); Wolfgangi Goethei *Faustum* Latinis iambis expressit Andreas Adrian ingeniarius (ed. priv., 1941-1943); Dantis Alageri *Divina Comoedia* plurimos habuit interpretes Latinos, velut Carolum Aquinatem (Neapoli, 1728), Gaietanum Dalla Piazza (Lipsiae, 1848), Iohannem Baptistam Matté (Eporediae, 1874-1876), Iohannem Pascaliū Marinelli (Anconae, 1874) et Iohannem Ambrosi (Selecta quaedam, Augustae Taurinorum, 1965); in *Hierosolyma Liberata*, poemate Torquati Taxi celeberrimo, Latine vertendo inter ceteros praestitisse videtur Iosephus Toraldo (Romae, ed. posth., 1900; Toraldo obiit 1899).

Calevalaidos vero Latina interpretatio ad hunc diem desiderabatur. Qua de causa THOMAE PEKKANEN, academico professori Helsinkiensi et Jyväskylänsi, impense gratulandum est quod in opere illo integro, quod duobus et viginti milibus versuum et septingentis nonaginta quinque constat, Latina veste donando maximam posuit industriam (2). In quo vertendo, eodem fere consilio (*grassatus*) quo et novissime Clemens de Oliveira (quem dixi), rhythmos primigenios servavit; cepit enim dimetros fere trochaicos eosque dialoephis (quas nuncupant)

insignes; versus autem intercalares agnominationsque, quibus carmen abundat, quantum poterat Latine retinuit.

Qua de interpretatione uti possit iudicari specimen quoddam e libro primo exscriptum subiungo, quo poeta, dum Väinämöinis ortum canit, rerum naturae initia poetice exponit :

Virgo quondam, vento nata,  
nymphā nitidā specie,  
sempiternam sanctitatem  
curat suam castitatem  
aeris in aulis amplis,  
in plateis eius planis.

Dies denique pertaesa  
aevum aegrius ferebat,  
quod agebat semper sola,  
virginālis, quod vivebat  
aeris in aulis amplis,  
in desertis desolatis.

Iam inferius defertur,  
undas usque volans venit,  
in extensos maris aestus,  
ubi pontus est apertus.  
Venit venti ferus flatus,  
ortus est ex oriente,  
sustulit in summas undas,  
maris fluctibus mandavit.

Casta vento cumulatur,  
virgo fluctibus vehitur  
aequora circum caerula,  
per spumantes maris undas:  
ventus uterum inflavit,  
mare reddidit gravidam.

Plenum uterum portabat,  
ventrem gravidum gravantem  
septies per centum annos,  
novem saecula hominum;  
neque nascitur naturus,  
nec ineditus editur.

Maris coniux circumfertur.  
Petit ortum, occidentem,  
aquilonem, meridiem,  
nat in omnes regiones  
in aerumnis suis aegra,  
in dolore ventris duro;  
neque nascitur naturus,  
nec ineditus editur.  
(....)

*ductas?*

Transit temporis momentum,  
nec interest mora longa.  
Venit avis, fulca volans;  
pennis nixa pervagatur,  
quaerens nidum quo locaret,  
habitaculum haberet.

Petit ortum, occidentem,  
aquilonem, meridiem.  
Non videt spatium illud,  
locus pessimusque deest,  
nidum quo nidificaret,  
stationem stabiliret.

Volat huc et volat illuc,  
cogitat, agit animo:  
"An aedificem in aestu,  
sedem sistam super undis?  
Aestus aedes deiciet,  
unda feret sedem secum".

Accidit ut maris coniux,  
maris coniux, vento nata,  
genu tolleret ex aqua,  
summum umerum ex undis,  
fulca quo nidificaret,  
domum caram collocaret.

Volucris, fulca fulgida,  
huc et illuc volitabat.  
Genu repperit resectum  
caerulis in maris campis;  
esse tumulum herbosum,  
vivum caespitem censebat.

Volitat, se librat vento,  
super genu sedem sumit.  
Ibi struxit sibi nidum,  
ova peperit aurea:  
ovum sexies ex auro,  
fecit septimum ex ferro.

Coepit ovis incubare,  
genu feminae fovere.  
Diem unum alterumque  
incubavit tertiumque.

Iam exinde maris coniux,  
maris coniux, vento nata,  
sentit cutem conflammari,  
in carbunculos comburi;  
artus credidit ardere,  
venas penitus persolvi.

Genu tepens tremefecit,  
artus corporis commovit:  
ova desuper decidunt,  
inter fluctus illabuntur;  
ita sunt frustatim rupta,  
in particulas perfracta.

Ova limo non linguuntur  
nec miscentur maris aquis.  
Sunt in melius mutata,  
in formosius formata:  
nam putaminis pars ima  
infima fit terra mater,  
fit putaminis pars summa  
summum caeli firmamentum;

fit vitelli pars suprema  
sol, qui splendeat in caelo,  
albumenti pars suprema  
lunae lumine lucescit;  
quod in ovis discoloris,  
id in sidera se vertit,  
quod in ovis est obscuri,  
id in nubes firmamenti.

Prorsus tempora fugiunt,  
annus anno superatur  
novo sole resplendente,  
nova luna lunescente.  
Adhuc fertur maris coniux,  
maris coniux, vento nata,  
inter illas almas aquas,  
nebulosas natans undas;  
ante liquidus est liquor,  
retro restat caelum clarum. (3)

Quodsi reliquum opus initio tam felici respondet (respondet certe), enixe optamus ut interpretatio illa integra typis maturime excudatur (4) !

Theodericus Sacré  
Fundationis scientiis provehendis  
Belgicae adsocius

#### Adnotatiunculae :

(1) Idem dissertationem Latine conscripsit de Väinämöine, uno ex heroibus Calevalaidis (Helsingfordiae, 1827).

(2) Cf Commentarios Kanava, 1, 1985, pp. 35-37; Jyväskylä Studies in the Arts, 23, 1985, 103-111 (T. Pekkanen, Kalevalan Latinantamisesta).

(3) Calevalaidis lib. 1, vv. 111-150 et 177-245.

Naturus : praestabat fortasse nasciturus;

Fulca : = fulica (per syncopam, ut semel in antiqua poesi);

Incubavit : nonnumquam legitur apud antiquos pro incubuit.

(4) Interpres opus exeunte anno 1985° perfecit, quod anno 1986° aut 1987° a societate quadam, c.t. Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, divulgatum iri sperat.

---

## FERIAE LATINAE

pro his qui intenso labore se studio et usui linguae Latinae dedicare voluerint anno 1986,

moderante Prof.P.Suitberto SIEDL,

deo volente celebrabuntur his in locis:

-16/7 - 25/7 1986

Katoliski dom prosvete SODALITAS

A-9121 Tainach/Tinje (Carinthia-Austria)

-4/8 - 11/8/1986

Cistercijanska opatija STICNA

YU-61295 Ivancna Gorica (Slovenija-

Jugoslavija)

ad quas ambas Ferias participandas interrogandus est :

P. Suitbertus a S.Joanne a Cruce O.C.D.

Karmeliten-Konvent

Landstrasse, 33 A-4020 Linz a/Donau

-23/8 - 30/8/1986

in castello "LA CASTILLE"

F-83260 La Crau (Provincia-France), ad quas Ferias

participandas interrogandus est:

M.C.DESESSARD

Résidence des Collines, C9,

rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

Tel: 93 49 01 91

## SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur tria seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

**11/9 -27/7 - 2/8/1986, Morslacchi (Morschach) in HELVETIA**, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH  
Aeschistr. 6  
CH- 3110 Münsingen  
Tel. 031/920823

**-16/8 - 23/8/1986, Vestendae in BELGICA** (ad litus maris harenosum), ubi pernociatio victusque in hospitio communi relative parvo constant. Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE  
Av. de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/7350408

**-24/8 - 6/9/1986, Bottropii (Bottrop) in Rhenania Vestfalica (GERMANIA)**; seminarium duarum septimanarum, quibus consuetudo loquendi in usum expeditiorem evadere solet. Ad quod participandum interrogandus est:

Rochus HABITZKY  
Albertus-Magnus-Strasse 7  
D-4100 Duisburg 25-Huckingen  
Tel. (0203) 78 14 30

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae, duarum septimanarum 240 marcae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland. Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel hospitiiis.

NON AMOR THOS SOLVS EVROSQVE MODOSQVE DOCEBIT  
SANCTE SIMVI NOBIS CORBINIANE LAVI



LUDI LATINI MCMLXXXVI



A die 23 ad diem 26 m. Oct. Frisingae in urbe vetustissima et Latinissima, cui hodie Freising nomen est.


Pernociatio dabitur et in multis deversoriis publicis et in aedibus Kardinal-Döpfner-Haus (quae sunt in monte ecclesiae cathedralis, i.e. Am Domberg), ubi diebus 24 et 25 m. Oct. non ientare solum, sed nobis usque prandere et cenare licebit. Ibi qui deverti voluerit, indicet id nobis, item nobis usque ad d. 10 m. Sept. centum viginti sex marcas (126,- DM) transcribat. qui aliis in deversoriis dormire cupient, ipsis scribant cauponibus eisque dicant se LUDORUM LATINORUM sodales esse. Praeterea omnibus sodalibus solvendae erunt quadragenae marcae (40.- DM) exceptis scholaribus i.e. discipulis universitatum et gymnasiorum, qui vicens quinque marcas (25.- DM) pendent. Hanc summam vos rogamus ut iam tunc mittatis, cum indicabitis nobis per litteras vos LUDIS LATINIS interfuturos esse. Transcribenda est autem omnis pecunia huc :

Nr. 1720280015 Hypo-Bank München (BLZ 700 200 01) : Sodalitas LUDIS LATINIS faciendis e. V.

Epistulas autem vel schedas, quibus nomina profiteamini, mittite huc :

Jürgen Leonhardt,  
Geschwister-Scholl-Platz 1,

D-8000 München 22.



Venumdantur :

RUDENTIS videocaseta  
LUSTRATIO LITORIS BELGICI:  
MELISSAE EMISSIONES LATINAE I  
LATINE LOQUI.

Pecunia mittatur ad computum mandatorum cursualium Bruxellensem (CCP. Bruxelles), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.

Ii extra Belgium habitantes, qui pecuniam mittunt ad computum, cui index "AMICI MELISSAE", instanter rogantur ut tantum alterutro ex his duobus solvendi modis utantur :

- MANDATUM CURSUALE INTERNATIONALE

- EUROPAEA ASSIGNATIO ARGENTARIA (Eurochèque), ubi pretium solvendum francis Belgicis indicari debet et ubi

numerus chartae argentariae eius, qui pecuniam mittit, etiam inscribi debet.

Cum ceteri solvendi modi adhibentur, tanta pars pecuniae accipebdae argentaria praecipitur, ut plerumque vix quicquam supersit. Gratia.